

T20

Ars amandi III, 329-348

La tradizione poetica

Metro:
distico elegiaco

- Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetae,
 330 sit quoque vinosi Teïa Musa senis;
 nota sit et Sappho (quid enim lascivius illa?),
 cuive pater vafri luditur arte Getae.
 Et teneri possis carmen legisse Properti,
 sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum:
 335 dictaque Varroni fulvis insignia villis
 vellera, germanae, Phrixe, querenda tuae:
 et profugum Aenean, altae primordia Romae,
 quo nullum Latio clarius extat opus.
 Forsitan et nostrum nomen miscebitur istis,
 340 nec mea Lethaeis scripta dabuntur aquis:
 atque aliquis dicet: “Nostris lege culta magistri
 carmina, quis partes instruit ille duas:
 deve tribus libris, titulus quos signat Amorum,
 elige, quod docili molliter ore legas:
 345 vel tibi composita cantetur Epistola voce:
 ignotum hoc aliis ille novavit opus”.
 O ita, Phoebe, velis! Ita vos, pia numina vatium,
 insignis cornu Bacche, novemque deae!